



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

XV. De partibus procreationi famulantibus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Eandem ob causam recta super lumborum musculos progrediuntur, nec usquam, ut intestina, conuoluuntur in orbem: paucioresque quam vena, obliquas habent fibras: tum ne retentrice illarum virtute transitus urinae retardetur: tum ut laxentur facilius magisque extendantur. Hinc tunicae propriae altera communis accedit à peritoneo, cui ad vesicam descendentes firmitatis gratia incumbunt. Et idem qua parte peritoneum spectat, vesicae interfundum & ceruicem infiguntur obliquo ductu & in anfractus conuoluto, dum primam peritonei tunicam penetrant, membranulis ad foramen, siue roboris, siue custoditae potius causa, appensis; ne vesica distenta regurgitet in meatum urinae. Locumque ipse insertionis ad hoc aptissimus est. Quia dum supra totum vesicae corpus urina subit, absque regurgitationis periculo impletur tota & distenditur.

Vesicae figura.

Est autem vesica rotanda quidem & capacissima seu oblonga figura; ut commodius eo loco continetur, & extendi ac turgere possit. Idem & supra intestinum rectum in maribus & supra vterum in foeminis locata est. Nimum tamen attolleretur, si prorsus rotunda esset,

Substantia.

Duplici constat tunica. Interior propria membranam habet & nerueam substantiam, distendi & contrahi aptissimam: ut urinae multum susciperet, quod simul totum emitteretur, ne crebrior haec purgatio molesta nimium fieret; eaque mox emissila subsideret. Tum vero duram & validam: ne ab acri, mordaci, & rodente humore atque interdum calculis lederetur. Triplici fibrarum genere constat, attrahentiu, retinentiu, expellentiu. Altera illi à peritoneo accedit, non parum robusta, inde orta, ubi eius consistit fundus. Inde post erigitur cetuius seu collum, in maribus quibus pudendum, quo reddenda urina est, extorsum prominat, longius & angustius, quam in foeminis. Namque in his vteri ceruici statim inferitur, illucque urinam conijcit. In illis autem cum semen quoque eadem emittatur parte, adest primum glandosum corpus, quod tum seminalium vasorum insertionem suscipit, tum urinae meatum humectat & irrigat. Deinde vesicae ceruix vterius producit, atque os pubis egrediens intra musculos pudendi absconditur ibique desinit.

Musculus, epicyclus.

Vtriusque autem, & mari & foeminae communis est musculus epicyclus, qui in orbem vesicae ceruicem cingit, fibrisque transuersis egressui urinae praestit; ne nolentibus nobis effluat, ac volentibus vterum & cum celeritate erumpat: non secus ac de recti intestini musculo antea dictum est. Hoc in calculi extractione secato, fit ut multi post importuno urinae motu laborent: quod plusquam oporteat sectus laceratusque musculus sit. In foeminis ceruicem totam ambit; in maribus id, quod post glandosum corpus reliquum est, antequam pudendi musculos subiens reflectatur.

Vterus meatus.

Ceterum hic alterius quoque vrinarij meatus, ὁ ὑπερὸς & ὑποσπυγγίος, dicti, facienda mihi est mentio: quo ex fundo vesicae ad vmbilicum ducto, cum de vmbilici vasis dicerem, factum ostendi, dum in vtero viuit nec dum pudendo mingit, vrinam in alantoidem vmbilico fecernere. Cur autem tunc non pudendo, sed vmbilico fecernat; hanc arbi-

tror esse causam; ne aut tenellam pudendum aut totius corpusculi mollis nimium caro urinae siue praeter labentis siue circumfusae actrimonia & corrodeute qualitate laederetur.

Hoc vnum de vesicae substantia addam, quod ferè praetermisseram: nequaquam huic membro suas deesse venam, qua à Caua nutriatur; & arteriam, qua ab Aorta calorem; ac demum neruos, quibus à sexto cerebri & postremis spinæ paribus acris & rodentis humoris, calculiue, aut alterius cuiusvis iniuriæ sensum accipiat. Tanta est naturæ vel in abiectionibus & sordidissimis partibus cura atque industria.

B

#### DE PARTIBVS PROCREATIONI sumulantibus.

#### CAPVT XV.



Numeri illius vasorum generis, quod ad nutriendum & animal vnumquodque conseruandum refertur, facilis est haec & aperta descriptio. Iam alterum, quod ad procreandum tuendamque speciem comparatum est, intactum si praetermissero, iure optimo mancum, partemque non minima, neque inutili, mutilatum opus fecisse me dixeris, si vel leuiter pertractauro, pudorem desiderabis meum; nec immerito succentibus. Quid igitur? Possem scitum illud vsurpare; Omnia munda mundis. Possem & Theologos proferre scriptores de his non ratò contendere, atque in per multis ad Christiani viri officium pertinentibus per necessarium horum cognitionem esse. Quidni ergò mihi nunc philosopho liceat quaedam attingere? At pudicos malo pictores statuariae imitari; Qui si picturam quampiam aut statuam partibus omnibus accuratè delineatam fecerint, ipsi, quae intuentium fortasse oculos ac pudore possent offendere, prouidenter obducunt velum, equidem harum quoque pudendarum, tum maris tum foeminae partium non incuriosam feceram descriptionem. Sed obduco velum; malòque mancum opus meum, quam minus pudicum, videri. Hoc vnum dixerò, eadem in maribus atque in foeminis haberi vasa, sed in illis secus, quam in his, à natura disposita, quod alio atque alio modo, illos agendo, has suscipiendo ac patièdo, absoluerè hoc opus oportebat. In maribus, partibus constant quatuor meatibus, qui materiam futuri seminis comportant ad testes, & praeparant: testibus, qui seminis perficiendi vim obtinent: meatibus perfectum iam semen continentibus; ac demum pudendo, quo idem foeminae vuluam conijcitur. At haec ipsa, quae maribus extra prominent, foeminis intro còdita sunt. Alioqui in illis item testes sunt, & seminarij meatus: quodque in maribus est pudendum ad emittendum semen, hoc in illis est vterus ad suscipiendum, fouendum, & continendum. Idcirco enim cauam magis, minusque solidam hanc partem, quam pudendum maris, esse oportuit.

D E